RB164730

VELUT ARBOR ÆVO

Presented to the

LIBRARY *of the*

UNIVERSITY OF TORONTO

by

Professor

Ralph G. Stanton

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Toronto

http://archive.org/details/pspmfrhieronymiv00vahi



R.ˢ P.M.Fr. HIERONYMI VAHYÆ,
Conimbricenſis.
Benedict. Monach, Congreg. Monachor.
Nigror. S. Martini Tibanenſis Regnor.
PORTUGALLIÆ.

ELYSABETHA
TRIUMPHANS.

duob.ꝰ libris abſolutum
Hoc Poema Heroicum

Reverẽdis. Domino D. Abbati Generali
BENEDICTINO.
M. Fr. EMANUELI A SERAPHIM,
In Conimbric. Academia Doct. & in
Sacra Theolog. emerito.
Donatario Cauti Tybganenſis. Eſtellæ. Menẽdi Duci Mayor &c.

O. & D.
P. BENEDICTUS A VICTORIA.

VLYSSIPONE OCCIDENT.

Ex *Officina* PETRI FERREYRA, *Augustiſ.* REGINÆ Typographi.
MDCCXXXII.
Cum facultate Superiorum.

Beni.º Frz. Lisb. Occid.

REVERENDIS. DOMINO
D. ABBATI GENERALI

Congregationis Monachorum Nigrorum S. Martini Tibanenſis Regnorum Portugaliæ, &c.

M. Fr. EMMANUELI A' SERAPHIM

Conimbric. Academiæ Doctori, in Sacrâ Theologiâ Emerito, Donatario, & Duci maiori Cauti Tibanenſis, Stellæ, Menendi, &c.

Pro Epiſtola Dedicatoria
ENTHUSYASMUS.

C*OGITANTI mihi, & varia mecum animo repetenti quid afferre in*

§ *hunc*

hunc locum poſſem, quod nec ab eximio tui Ordinis plauſu, nec à profundendis celeberrimi M.Fr.Hieronymi Vabiæ laudibus abhorreret: id mihi ancipiti indagatione evolventi, ipſa Sapientia ſe ſe offerre viſa eſt; aureis, ut Reginam decebat, induta veſtibus, auguſtâ cydari redimita caput, ſpecie adeo decorâ, ut ſui ſplendoris admiratione, ſuæ pulchritudinis influxu oculos, cor, animumque meum, in ſui aſpectus reverentiam, obſequium, & amorem pellexerit, impulerit, inflamaret. Aderant vultu hylari fidæ ejus comites, & Miniſtræ.

Aderat Poëſis, vili amictu, lacerâ veſte, ſqualenti habitu, ſed formâ venuſtâ; lepidiſſimis reſperſa ſalibus, ingenuis inſtructa leporibus, læti carminis nimbos refundens.

Aderat Eloquentia, intertincto Bombycum ſudore ſpectabilis, ſericis gauſapiis, variegatis ſtragulis, vernantibus

ſtrophiis

ſtrophiis coruſca, lectiſſimorum florum turbines adaptans.

Aderat Hiſtoria, purioribus exornata terminis, obvelatam quærens veritatem, monumenta vetera pateſaciens, Recentiorum figmenta, mordacitatem, & ignaviam redarguens.

Aderat Dialectica, multiplicibus Laberynthi filis irretita, crine literariis calamiſtris in naſcentes ſpirulas deducto, conglomeratas argutias promens, converſiones Logicas collimans, arguta ſophiſmata nectens.

Aderat Philoſophia; thalaſſinis immerſa Liliis, cærulis inuncta coloribus, Naturæ myſteria rimans, Entium quiditates trutinans, cauſas, & effectus evolvens.

Aderat inſuper Theologia; micantibus nivium reflexibus circumflua, albicantibus teniis compta inter Margaritarum phalanges, cujus certe ambit cryſ-

tallus candida peplum.

Aderat, inquam, Theologia ; non ſolum cæleſtes ſyderum colles tranſiliens , non ſolum fulgidas Aſtrorum ſedes tranſgrediens, ſed ipſiſſima divini Numinis penetralia inquirens, ſacroſantæ Triados oracula pandens, virtutum habitus, & ſpecies, Angelorum officia, & miniſteria, ſacræque Paginæ abdita diſtinguens.

Cum igitur hoc Virginum comitatu ſtipatam Auguſtiſſimam Sapientiæ Maieſtatem in genua prolapſus revereri conarer; ipſa Sapientia ad me converſa in ſimiles ſonos prorupit. Quid tu, temeritate præceps, in mei dilectiſſimi Vabiæ encomia ruis ! Quid de meritis dilecti mei, quid de ſtudiis, quid de gentilitis decoribus deſidioſa panegery expedire ſatagis. Quid ! fare, age. Quod meus Vahya, Muſas bonarum artium Præſideſnodo fœlici tenuit in mente fixas, ab ore pendula, ! Hæc dicere tentas? Quod

Eloquentiæ

Eloquentiæ latices, conceptuum flumina per doctas peryodos redundantia ab ore ſuo perenni ſcaturigine defluxerunt! Hæc proclamare cupis? Quod Hiſtoriæ Luſitanæ, & Benedictinæ innatam venuſtatem præſtiterit& fæcundiorem reddiderit vernaculum idioma! Hæc dicere tentas? Quod Dialecticæ claſſico clientes deſides in patulos reliquarum Diſciplinarum campos, in laborioſum ſcientiarum pulverem, in oficioſam Logices palæſtram evocaverit, direxerit, eduxerit? Hæc proclamare cupis? Quōd Phyloſophorum ſtratagemata illuderit, ſophiſtarum inſidias detexerit, ocultas, & involutas rerum cauſas è viſceribus Naturæ evellerit! Hæc dicere tentas? Tandem, quod divina Theoſophiæ arcana ſubtili acumine introſpexerit, mente ſedulâ penetraverit, claritate perſpicuâ explicuerit! Hæc dicere tentas? Hæc proclamare cupis Hæc? Hæc! vera ſunt, hæc

vera; ſed tú impar negotio. Quid niteris! Ab deſine. Nec Zeuſi datum eſt epingere ſolem. Celeberrimi Vabiæ mei parta trophæa, & ſi poſſunt admiratione comprehendi, nequeunt tamen nec oratione ſtringi, nec vocibus elucidari. Tanti fuerunt mei dilectiſſimi Vabiæ virtutes, tanti ſcientiarum ſupellex, tanti omnigenæ doctrinæ affluentia, tot prerogativæ, tot merita; ut cum inter Luſitanos Benedictinos ſcriptorem Maximum coronaverim, Opera ejus edenda curem; volo enim de theſauro meo producere nova, & vetera.

Subſtitit ſapientia parumper, libroſque tanti viri è Muſarum manibus arreptos mihi protulit, dicens. Provinciam capito; Legationem adimpleto, ito; & mei decreti celebris Paranymphus eſto. Iſtud glorioſum munus deferto, pró amoris pignore, pró gratitudinis arrhabone, flexoque polite, ad humum provo-

provolutus , in manus Reverendiſ. D. Abbatis Generalis Benedictinorum repo- nito, ut Reverendiſ. Dominus , generis ſplendore clarus, profluviis ſcientiarum irriguus, maieſtatis dotibus refertus, ut eſt Benedictinæ Monarchiæ Præſul , Ar- biter, Moderator , & Auſpex tantum Opus ſua protectione decoret. Hoc eſt ſapientiæ decretum , & hic ipſius effe- ctus , immo , ut omnibus pateat exe- cutio. En librum, qui Elyſabetha Tri- umphans *inſcribitur , viciſſimque prin- cipatum adſtruit, maieſtatem perennat. Fruere igitur, Reverendiſ. Domine, ſa- pientiæ exaſſe hæres , fruere celeberrimi Vabiæ copiis; dum omnes plaudunt , & tibi, & illi vocibus concinunt. Jo Pæan, Jo Triumphe , &c.*

Reverendiſ. Tuæ:

R. s. H. s. F.

P. BENEDICTUS A' VICTORIA.

LECTORI.

Adeſt Reverendiſ.P.M.Fr.Hieronymus Vahya, Conimbricenſis, Benedictinus Monachus Congregationis Monachorum Nigrorum Sancti Martini Tibanenſis Regnorum Portugalliæ, &c. vir adeo ſcientiarum divitiis afluens, ut Luſitanus hortus Litterariis ſuis fæcundetur affluentiis, laboretur ſudoribus, floribus exornetur. Adeſt *Eliſabetha Triumphans*, Poëma Heroicum, quod primo in limine Latinæ antiquitatis amatoribus exponendum cenſui, eo quod opus Regale ſit. Plura dabo, ſi placuerit. Sapientiſſimus enim vir malitiæ telis, invidiæ morſibus, ne dicam, malevolentiæ, & ignorantiæ calcibus quandoque impetitus, numquam ab incæpto deſtitit labore.

De illo, & operibus ejus ſic teſtatur Reverendiſ. P. M.Fr. Gregorius de Argaes Benedictinus Monachus Hiſpanæ Congregationis, (ab imperitis hujus ſæculi calumniatus) in lib. *Perla de Cataluña.fol.465. col* 2.§ CLX Hæc ſunt ejus verba. *El Maeſtro Fray Geronimo Bahya, talento mayor q̃ todo encarecimiento, natural de la Ciudad de Coimbra, hijo del Monaſterio de San Martin de Tibaẽs, eſtudiò Artes en el Colegio de Coimbra, ElRey D. Alonſo el Quarto* (lege *Sexto*) *le nombrò por Predicador del numero*

de

de ſu Real Capilla. La Religion le hizo ſu Croniſta; empeño, en que huviera hecho grandes progreſſos, ſi la ſalud fuera igual à ſu talento. Inprimio algunos Sermones ſueltos, y en verſo Heroico la Batalla de las Linhas de Elvas. Tenia para dar à la prenſa un libro intitulado, Alfonſeada, en verſo heroico, obra compueſta, e repartida en doze Canticos. Por el Argumento, e excelencia ſon dignas de eſtimacion, como capazes de la embidia. Pudo eſta tanto, que de un golpe deſcompuzo el ſugeto del Argumento, y los intentos del Author: & Reverendiſ. P. Antonius dos Reys, Congregationis Oratorii Ulyſſiponenſis, Regiæ Academiæ Socius, & Latinus Hiſtoriographus, in ſuo Enthuſiaſm. ita cecinit.

. . . . Exorta repente
Lis fuit, è Muſis meritâ quæ fronde Bahya
Debuerit cinxiſſe caput, Phœbique ſequeſter
Electus: demum, Phœbo mandante, Taliæ
Caliope ceſſit, memorans tamen inclyta facta
Quæ cecinit vatis plectrum, quorum edita quondam
Pars vidêre diem, tineâ pars altera clauſis
In pluteis arroſa latent. . . . .

Quod protinus explanat.

Fr. Hieronymus Bahya, Monachus Benedictinus plura ſcripſit, quorum maxima pars interiit. Aliquod ejus opuſcula edidit Mathias Pereira da Sylva in Collectione inſcriptâ: Fenis Renaſcida *nimiſum: in primo tomo, edito anno* 1716. Fabula de Polifemo, Jornadas de Lisboa para Coimbra, e de Lisboa para o Alem-Tejo, &c. *In ſecundo, edito anno* 1717. Cançaõ heroica à Batalha do Canal, Decimas, Sonetos,

Sonetos, e varios Romances. *In tertio, edito anno* 1718. Lampadario de criſtal;*& multa alia;ut quarto edito anno* 1721.

Ulra narrata ſcripſit Reverendiſ. Vahya.

Sermones Luſitano idiomate ſupra quinquaginta.

Annaes Luſitanos P. I.

Annaes Benedictinos P. I.

Poemata Sacra, Latino idiomate, ſex.

Epigrammata, octoginta ſupra centum.

Orationes Academicas, triginta.

Qua propter neque Author, neque opus tuâ indigent benevolentiâ; nam ſi Latinitatem, elegantiam, venuſtatem deſpexeris, uti neſcius reputaberis.

Obiit Clariſſ. vir confectus morbis, & diſplicentiæ jaculis, in Monaſterio S. Romani de Neyva; cujus memoriæ, (neſcio,) quidam Monachus hoc inſcribi curavit

EPITAPHIUM.

Hieronymum condit tumuli brevis urna Vahyam.
Heu parvo quantus vir jacet in tumulo!
Corpus voce caret, dum ſpiritus advolat antro:
In mæſto ad celebrat Mors lacrymoſa virum
In cytharas nervos aptat, connectit & oſſa
In tibias: ſpirant oſſa ſepulta melos.
Non triſtes fugias concentus; ſiſte viator:
Mors aliis mæſta eſt, huic, puto, lætaquies.

V. J. V. M. B. H. M. P.

FACUL-

FACULTAS

S. INQUISITIONIS.

O Padre Meſtre Joze Troyano, Qualificador do Santo Officio, veja o papel de que ſe trata, e informe com ſeu parecer. Lisboa Occidental 2. de Mayo de 1732.

Fr. R. Lancaſtre. Cunha. Sylva. Teyxeyra. Cabedo. Soares.

EMINENTISSIME DOMINE.

OPus quidem poſthumum, ſed nulli ſane poſtlatum, *Eliſabetha Triumphans, Poëma heroicum* duobus tantum libris, ſed pluribus, ſed omnibus numeris abſolutum, & a Reverendiſſimo Patre Magiſtro Fratre Hieronymo Vahia, quem propter excellentiam & ingenii, & eruditionis præſentiam ſemper colui, ac plurimi feci, luculentiſſimè concinnatum, meo qualicumque munere fungens, libenti animo crevi; in quod cum primum incidi, ni apprimè callerem Authoris elegantiam, ſolertiam, & ad poëſim uno, alteroque idiomate, vernaculo, & Latino natam indolem,

quæ

quæ optimæ ſemper menti vacavit, fortè cmentitum opus judicarem; adeo enim antiquitatem redòlet, adeo primævos Artis coriphæos æmulatur, ut eo conſpecto redivivum Maronem conjectare liceret, cui in eo præſtàre cenſendus eſt, quod ejus male fida carmina, ideſt, in fide male morata, Catholicè vertit, & Chriſtiano uſui ſervire facit.

Totus poëmatis nucleus ſanus eſt, nec inſanit, ſicut (neſcio quo œſtro (moris eſt poëtarum, in eo ſiquidem memorabile illud Reginæ Sanctæ, facimus dixerim, an melius Authori morem gerens, Triumphum, quo conciliavit cor patris àd filium, heroico plane metro, memoriæ prodit, immortalitati cõmendat. Heróidi ſane inclytæ heros inclytus, opus heroicum debebatur. In eo nihil offendi, quod fidei puritati, morumve integritati minus conſonum videretur; digniſſimumque perinde judico, quod in lucem prodeat. Ut autem in vulgus emanare queat, expediatur, ſi Emminentiæ veſtræ conſentaneum viſum fuerit. Ulyſſipone Occidentali in Congregatione Oratorij 19. Maij 1732.

Joſephus Troianus.

Viſta a informaçaõ, pòde-ſe imprimir o Poema Latino, intitulado *Eliſabetha Triumphans*, de que he Author Fr. Jeronymo Vahya; e depois de impreſſo tornarà para conferir, e dar licença que corra, ſem a qual naõ correrà. Lisboa Occidental 20. de Mayo de 1732.

Fr. R. Lancaſtre. Cunha. Teyxeira. Cabedo.

FACUL-

FACULTAS ORDINARII.

PODe-ſe imprimir o Poema de que ſe trata, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença para que corra. Lisboa Occidental 22. de Mayo de 1732.

Gouvea.

FACULTAS REGIA.

MAnda ElRey noſſo Senhor, que Joaõ Couceiro de Abreu e Caſtro, Guarda Mor da Torre do Tombo veja o Poema Latino: e pondo nelle ſeu parecer o remeta a eſta Meza. Lisboa Occidental 24. de Mayo de 1732.

Pereyra. Teyxeira.

POëma Heroicum (quo *Eliſabetha Triumphans* duobus libris à Reverendiſſimo, ac Ingenioſiſſimo P. M. Fratre Hieronymo Vahya, uno volumine concinnatis, Heroico carmine coronatur) opuſculum corpore, ſed ſpiritus poëtico opus Magnum, & Egregium. tot miraculis Eliſabethæ illuminatum, quot miris carminibus contextum, quàm accuratiſſimè potui, legi, ac perlegi. Virgilii, an Vahiæ opus eſſe dubitarem, ſi Eliſabetha *parto non eſſet Regina triumpho.* Anteacto ſæculo celeberri-

mus

mus fuit vernaculo, & Lyrico Carmine Acutiſſimus Vahya, maximè in æquivocis, quibus Luſitanam Linguam callentes attrahit, ac delectat; ſed nunc redivivus ope, & ingenio Patris Benedicti à Victoria, tanti operis Latino, & Heroico carmine indagatoris, omnium litterarum profeſſorum capiet benevolentiam, ac decorem in ſui Ingenii laudem, in ſui Ordinis ornamentum, & in noſtræ Patriæ dulce decus. Idcirco hoc poſthumum opus è tenebris in lucem prodeat ut prælo reviviſcat, & cedro effloreſcat. Sic cenſeo. Ulyſſipone 29. Maij an. 1732.

Joannes Conceyro de Avren e Caſtro.

QUE ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornarà à Meza para ſe conferir, e taxar, que ſem iſſo naõ correrà. Lisboa Occidental 4. de Junho de 1732.

Pereira. Teyxeyra. Rego.

REVERENDIS. P. MAG.
Fr. HIERONYMI VAHIÆ
Conimbricenſis
BENEDICTINI MONACHI
Congregationis Monachorum Nigrorum
S. MARTINI TIBANENSIS REGNORUM
Portugalliæ &c.

Elyſabetha Triumphans
L I B. I.

ILle ego, cui quondam Lyſio ſermone canenti
Limpida currebant de paupere carmina venâ,
Carminâ divini tenerum modulamen Amoris,
Nunc Latiâ deſudo tubâ, nunc horrida Martis
Arma cano, meritamque ſacræ pia nomina pacis
Reginam, Lyſiæ decus immortale coronæ :
Auſpice quæ cœlo, quæque indignante barathro

Hinc potuit genitũ, atque illinc revocare maritũ,
Et fera terribilis concluſit limina Jani,
Armataſque manus dextra ſuperavit inermi.
Mõda, per Herculeos placidovagus agmine cãpos
Qui fluis, & fontis radiatus ſydere frontem
Lucida noctivagæ pervincis cornua Lunæ;
Si te (contempto, veneratus, Apolline) ſector
Aonioque tuum fonti ſi præfero flumen;
Nunc ò, nunc omnes è lymphis exere Nymphas,
Quæ mihi non humilẽ tribuant ad carmina venã,
Sed quæ Virgilij, ſed quæ videatur Homeri,
Invidioſa quidem poſco, ſed debita: namque
Concinimus Divam, quæ te,pulcherrime,vivum,
Et ſuper undantes Nili ſeptemplicis amnes,
Et non unius celebratum nominis Iſtrum,
Inſignit famâ. Jamjam ruere omnia cerno,
Jam ſolito maior complet præcordia Phæbus,
Jamque tuum noſtræ, placido pro Caſtore,cymbæ
Sydus adeſt: Tuque; ò ſupero decus addita mũdo
Quam ſacra divini ſervantem juſſa Monarchæ
Plurima nobilitant diffuſum mira per orbem;
Seu tè fulgentis quâ ſtat via lactea cæli
Concolor aſſiduo ſuſpendit carmine cygnus,
Sive tibi cedit roſeas Aurora corollas.
Aurea ſive tibi Phæbus diademata cedit,
Irradiant amplum miracula tanta per orbem,
Tèque roſis, auroque ſimul tua geſta coronant;
Dà mihi tantarum breviter faſtigia rerum
Currere, ſi bene quid merui, dà numine grato
(Namque mihi Dea ſemper eris) tua dicere facta,

Et digno celebrem plectro memorare triumphum.
Jam ſemel, atque iterum Lyſiam pacaret Elyſa
Alma rebellantem, diros gnatique furores
Juſſerat in tenerum converti patris amorem;
Quum Pluto antiquam ſervans ſub corde ruinam,
Et mèmorans raptos aulæ ſtellantis honores,
Nec dum etiam ſævo noſtrorum prælia Regum
Jecerat ex animo; ſedet imo in pectore fixum
Excidium Mauri, ſtygiæque injùria legis,
Quam quondam ex Lyſia Libyas cõtendere ad oras
Cumpulerant fortes fatali milite Luſi:
Inſuper & mores ſacræ indignatus Elyſæ
Criminis expertes, metuensque futura profundo
Bella Orco; Alfonſi, quæ jamjam facta minantur,
Fataque: terribili perculſus corda dolore
Sic ſecum: Mene ingenti deſiſtere cæpto,
Nec poſſe Alfonſum, Lyſiæque evertere Regem;
Quippe vetor Reginâ? nonne infamis honori
Ambitio ſceptri bis vatis ferre Tyranni
Progeniem potuit ſtygias ſcelerata ſub umbras?
Ipſa manu validâ generis pia vincula rupit,
Cognatasque animas inimico Marte profudit.
Illum mortiferis ter foſſum pectora telis
Crinibus abripuit, truncoque affixit iniquo.
Aſt ego dux Erebi, cæli genus, ardua magnus
Cujus in arma furor totum tremefecit olympum
Vincor ab Elyſabetha! Et quiſquã nomẽ honoret
Præterea noſtrum, decoretve altaria donis?
Hæc tacitus poſtquam furiata mente revolvit
Tartaream effudit vocem clamore tremendo.

Audiit inferni murmur furiale Tonantis
Janitor, & triplicem preſſerunt guttura vocem
Sæva, Charon remos ignitis tradidit undis,
Inque caput pavido Cocytus flumine verſus
Conderet ut ſeſe, notam properavit ad urnam;
Audiit, & ſi quem piceo Styx livida fundo
Submovet,& ſi quē Phlegeton horrēdus anhelo
Turbine flammigeram devolvit ſubter arenam.
Extemplo Stygii coëunt ad mænia Regis
Armati in cælum, temeraria turba, gigantes.
Ille gemens,pœnæ poſtquam præluſit acerbæ,
Horriſono fremitu ſolio ferus infit ab alto.
Ecquis erit veſtrum, noſtros qui primus in hoſtes
Irruat? excipiunt clamore infanda furentis
Dicta ducis populus, terramq; polumq;minantur;
Erexere manum, volueruntque eſſe priores.
Sic, cum turbineâ rector parat Æolus arce
Bella mari, rapidi circum reſonantia venti
Clauſtra fremūt,& quiſq; prior cupit antra revulſo
Cardine deſerere, & ſuperos exire ſub axes,
Lucida ſpumanti mixturus ſydera ponto.
Tunc ferus, his animis ſpectatis, flebile gaudens
Conceptas rabido furias ſic addidit ore.
O ſtygij proceres digni, quibus aurea clarum
Aſtra thorum nitidi ſtruerent in vertice mundi,
Cernitis, ut Lyſios teneat pax alta penates?
Ut Regina meis obſtet mora dura triumphis?
Heu caput inviſum! & noſtris contraria fatis
Fata ducis Lyſiæ! quoties evertere natum,
Atque virum ſtudui, toties hæc una labantes
Suſtinuit,

Suſtinuit, mediis & pacem fecit in armis.
Quid memorẽ celebres, illi quos præſtat, honores
Immeritæ, magnus celſi regnator Olympi?
Reddita languẽtum referam quid membra ſaluti?
Aureaque in roſeos flores converſa metalla ?
Quid ve rogos Dominæ famulantes,atque;rebelles
(Dum lædunt ſontem non læſo inſonte) marito !
Quid flammas alias, juſſaſque recedere lymphas,
Pluraque, quæ totus celebrat miracula mundus?
Scitis enim: parco veteres iterare querelas,
Parço mihi infandum fando renovare dolorem.
Hæc poterit Lyſias,domito Phlegetonte, cohortes
Eripere excidio , natumque virumque tueri ;
Nos illam contra nihil (heu!) potuiſſe juvabit !
Ite decus Barathri (Ditemne feretis inultum ?)
Ite meæ vires, mea magna potentia, Manes,
Compoſitam, bellis iteratis, rumpite pacem,
Martia cognatas inimicent claſſica gentes,
In genitumq; parens,genitus ruat inque parentem
Et malè concordes alterno funere vitas
Projiciant, illos ſed ne Regina moretur,
Exulet imperiis tunc per ſua regna mariti :
Sit factum quodcumque volo. Vix dixerat : illi
Corripuere viam, ſed dura Alecto retardat:
Meme (adſum Aonios potui quæ perdere fratres
Vulneribus mutuis) me ſolam in bella remitte
Armipotens rabidi Pluto moderator Averni:
Faxo, Tartareo ut genitus cadat hoſtia Regi,
Et pater; & Furijs ego ſim tibi præ omnibus una.
Sic ait : & totis venientes ſubmovet hydris

Illi indignantes ceſſerunt, ipſeque flectens
Pluto caput rigidum tetro diademate cinctum
Annuit, & totus nutu trepidavit Avernus.
Diva per horribiles umbrarum fervida campos
Carpit iter ſolitum, terraſque irata ſubivit.
Eſt locus in Lyſia vitrei prope flumina Mondæ
Horridus, & Stygiæ noctis terrore verendus:
Hic infernarum domus opportuna volucrum,
Stat nemus immane, & terra atrâ nubilat umbrâ,
Aſt medio in rupe abruptâ ſpelunca profunda
Scinditur, & vaſto intrantes minitatur hiatu,
Hoc nemus infernam dicit vicinia vallem,
Effera terribilis fecit cognomina cauſa :
Nã rapidũ horrẽdæ monſtrant Acherõta cavernæ,
Sulphureæ fauces, quas turbida fertur Erynnis
Poshabito coluiſſe orco; at nunc concita rupem
Tranſilit, atque locũ nil curat Diva tremendum.
Nox erat, aſtra vagum placido jubar aurea cælo
Extulerant, ignes argentea Luna minores
Inter ſplendebat, fulgentique æmula fratri
Nocte diem mediâ ſimulabat clara ſerenum.
At veniente Deâ, atrâ cælum, ſydera, Luna
Nube obvelantur; periit ſua gratia nocti;
Lumine pro roſeo, radijsque micantibus umbra
Tartarea horrendo cælos involvit amictu.
Centum cæruleos pro crinibus illa colubros
Ferrea ſulphureis nodantes orbibus ora
Pectebat dextrâ, torvo lux atra receſſu,
Lux, ſed luce carens, & ſævis æqua cometis
Omine funeſto ſimulabat lumina; mixtum.
San-

Sanguine fel viridans nigro rabida ora venenat,
Peſtifer ingratas jam tum vapor inficit auras.
Talis Iniſæos ibat motura penates
Teſiphone ſtridens, ut magno maior Homero
Concinit Aoniis ſatur ille poëta fluentis.
Extemplo horriſono rapitur dea ſæva tumultu,
Inque tuos fertur, celebris Conimbrica, muros
Herculeâ fundata manu, cùm tradidit orco
Gerionem immanem, terno cui funere ternas
Abſtulit Alcides animas, tria corpora fudit;
Terra potens armis, & non ingloria pace,
Qua Mavors pariter, pariterque ſuperbit Apollo,
Pallade namque minus,quàm nobilitata Minervâ.
O Patria! O Lyſiæ ſplendor! Quo pectine laudes
Tollet ad aſtra tuas tuus haud ingratus alumnus?
Non mihi ſi Maro ſublimem,nitidamque Marinus
Præſtarent venam , nec ſi meus aurea Brittus,
Brittus honor Pindi, charitum Sal, Solq;Dearum
Caſtalidum, Brittus Lyſij defenſor Homeri,
Lux ſophiæ, jubar hiſtoriæ, Ciceronis imago
Plectra daret; tantas æquaſſem carmine dotes.
Obruit (heu!) numeros:numerus rerum ille tuarũ,
Urbs ingens, inopemq; meum tua copia plectrum
Efficit, & mutas tanta ad præconia Muſas.
Hic Princeps mediâ placidũ jam nocte ſoporẽ
Carpebat Lyſius: furibunda virago tremendam
Depoſuit faciem,faciemque aſſumpſit anilem.
Hinc arat os rugis, nive ſeminat inde capillum,
Atq; anus, Alfonſum teneros quæ lacte per annos
Nutrijt, efficitur , tremulâque ita voce profatur.

Bellipotens Juvenis, magni ſpes maxima regni,
Cum te tot patrij circumdent agmina Martis,
Totque doli, placidâ componis membra quiete?
Sævus in arma pater, violatâ pace, reſurgit,
Et vigil immerito nova tendit retia nato.
Tù pius? ah demens! tù ſomno deditus? uſque,
Uſque jaces? fidumque infido te eſſe parenti
Oſtentare cupis, meritas nec ſurgis in iras?
Eia age, ſopitum vaginâ ſuſcitet enſem
Dextra potens,ſonteq; furens jam fulminet hoſtē:
Te ſtupefacta cohors timeat funeſta ruentem,
Sentiat atque pater genito ſeſe eſſe minorem.
Deſijt; at Lyſius contra ſic incipit Heros:
Arma patris, mater, memoras, quæ infeſta potētis
Credere me reris potuiſſe? haud dextera bello
(Ne tantum mihi finge nefas, ne prælia tanta)
Atque fide inſignis ſic ferro fædera rumpet.
Sed maleſana tibi nimiâ mens victa ſanectâ
Hoc bellum mendax, hæc ſomnia vana figurat;
Cura tibi blandæ penſis ſervire Minervæ;
Te telæ, non tela decent, tu vellera ſume,
Arma relinque viris. Subitas exaſit in iras
Virgo nocens, jam faſſa Deam, qualiſque videri
Tartareis, & quanta ſolet,quot dira ceraſtis
Verberat ah miſeros Acherontis in amne ſilentes,
Apparet juveni: aſt illi calor oſſa reliquit,
Ora color; rigido tunc hæc ſermone loquuta eſt.
En ego, cui nimiâ victa, & maleſana ſenectâ
Mens bellum hoc mēdax,hæc ſōnia vana figurat,
Nunc faxo experiare; ſilet: geminumq; capillum
Vellit,

Vellit, & horrendo juvenem fera verbere pulſat,
Inſpiratque nefas, & viſcera cuncta perurit:
I' nunc, & dictis Furias contemne ſuperbis.
Dixit; & abceſſit ſomnus, terrorque remanſit;
Arma ſexox arma, arma horrendâ voce repoſcit,
Arma, arma ingenti reſonant tecta icta fragore.
Non terræmotus, non ſæva tonitrua tanto
Unquam concuſſere ſolumq; polumque tumultu.
Non aliter Rutulus Furiâ exagitante Tyrannus
Horruit, & rapidus ſcelerata ad bella cucurrit,
Donec Dardaniâ poſtratus cuſpide, flexum
Jam ſermone ducem ſpolijs accendit amici.
Jamq; vocat fortes rediviva ad prælia Luſos,
Inſuper, & ſtygiis ſtimulata juventa flagelis
Arma rapit nullos (eheu!) paritura triumphos.
Jam furor antiquam rigidâ de gente quietem
Expulit, & totum expirant fera viſcera Martem.
Dum Princeps Lyſias funeſta ad bella cohortes
Incitat, in Regem rapido pede fertur Erynnis.
Jamque ſcelus nati dubio clamore per urbem
Currit Ulyſſæam, placidas penetravit & aures
Patris; at infandum non credidit ille furorem;
Cùm Dea, mutato vultu, poſitisque colubris,
Belligeri Soſæ, (quo non præſtantior alter
Aut facie, aut dextrâ, Regi nec charior ipſi
Extitit) effigiem lacrymoſo lumine mæſtam
Sumpſit, & in ſomnis magno ſe ſiſtit amico.
Vulnera (proh Divûm pietatem!) fœda decoram
Turpabant faciem, ſordebant pulvere crines
Aurati immundo, nigrans per candida ſanguis

Pectora,

Pectora, Mavortis fulmen manus illa, triumphis
Cognita, nulla modo, & reliquū ſub vulnere corpus.
At Rex ut faciem miſerandi agnovit amici,
Vulneraq; illa hauſit, quæ multis plurima bellis,
Dum ſequitur ſua caſtra, tulit, prior ora reſolvit,
Et pia ſingultu verba abrumpente perorat
O' decus imperij, ſpes ò fidiſſima ſceptri
Soſa mei ! quæ cauſa tuos pulcherrime rerum
Barbara commaculavit vultus ? hei mihi qualis,
Hei mihi qualis ades ? quantum diverſus ab illo
Soſâ, qui celebres devicto ex hoſte triumphos
Aggerat, in cujus ſemper victoria crinem
Advolat, & lauro nitidum viridante coronat !
Heu ubi ſydereæ peregrina modeſtia frontis !
Heu ubi ſanguineo fatalis dextera bello ?
Ah dolor! ah quem te aſpicio! tacet ille, nec unquā
Plorantem Regem, & quærentem plurima curat.
At gemitum ingentem lacrimāti è corde revellens
Euge age, magne Pater, teque his, ait, eripe bellis:
Natus inextincto renovat Mavorte catervas,
Ante rebellantes: regnandi inſana cupido
Te meritas iterum, Rector bone, poſcit in iras.
Suſcipe fulmineum, Princeps ò maxime, telum,
Induit hic hoſtis; tù nunc patris exue nomen.
Sat nato, matrique datum ; ſi crimina tanta
Digna forent veniâ, veniam, Rex clare, rogarem;
Sed cupit(heu ſcelus! heu!) cæſo regnare parente,
Teq;neci (in ipſum referant quod numina) quærit;
Inſuper, & conjux tua (ſed jam non tua conjux
Immò hoſtis) genitum ſequitur; te perfida prodit,
Surge

Surge age, pelle feram thalamoq; thoroq; ſodalem;
Obrue funeſtum celeri certamine natum.
Hæc ubi dicta dedit nigræ ſe immiſcuit umbræ.
Olli abrupta quies: ſurgit, Soſamque requirit
Tecta per ampla domûs fidū, lacrymiſq; madētem
Abſtergit faciem, ſtimulisque agitatus Erynnis,
Multa ſuper gnato, ſuper almâ conjuge multa,
Multa ſuper bellis agitat, ſecumque volutat,
Incertuſque modi nunc huc, nunc fluctuat illuc.
Non aliter dubiis Phrygius Mæander in undis,
Et fluit, & refluit, nunc ad mare verſus amarum,
Nunc ad dulce caput; lymphis redeūtibus inſtant,
Quæ veniunt; & quæ redeunt venientibus obſtant.
Poſt varias tandem potior ſententia viſa eſt,
Exilium matri, natoque indicere bellum.
Non bene dum luces, umbraſq; Aurora nitenti
Expulerat cælo, nondum Sol alter, & idem
Reddideratque diem terris, rebusque colorem:
Cùm jam Reginæ portans mandata Dinyſi
Decepti miſeræ crudelis nuntius ibat:
Aſt illam ſuperos orantem, & dia legentem
Carmina cella brevis, cella amplo cognita cælo
(O pietatis amor!) mediâ jam a nocte tenebat,
Audiit ut chari ſecuro pectore Regis
Aſpera, nec tali mandata ferenda maritæ,
Ad cælum tollens rorantia lumina fletu,
Lumina; namque pias divina volumina palmas
Impediunt, magnum ſic eſt affata Tonantem
Alme pater; pater alme, polus cui ſervit, & orbis,
Aſpice nos; & mens talis ſi neſcia culpæ
Eſt

Eſt mea, decepti (hoc primum) miſerere mariti,
De me autem quidquid tua nobis chara voluntas
Diſpoſuit (grave, ſeu gratum) nihil ipſa recuſo.
Sic ait illacrymans, rerumque reliquit habenas.
I' decus, i Lyſiæ ! ſocius Deus exulis ibit,
Teque thoro referet celebri Deus ipſe triumpho.
At Rex expulſâ jam conjuge, debita nato
Bella parat, cunctas viduans & civibus urbes
Congregat ingentes equitum, peditumq; catervas.
Scinditur in geminas gemino ſub præſide partes
Regnum bellipotens: haſtam quatit ille trabalem
Horridus, & faciem torvo terrore minantem
Sub galeâ, placidis cui dat colludere ventis,
Contegit; ille ferum, compreſſus fræna, ſupinat,
Altaque turbineo ſuperare cacumina curſu
Edocet, hic latum rapidus circumrotat enſem;
Alter amat celeres acri ſtridore ſagittas
Spargere, & inſano committer vulnera vento.
Quo ruitis miſeri? quid vitam impendere noxæ,
Quid juvat inſignes civili ſanguine dextras
Cõmaculare? ſcelus tantum quo munere gratũ eſt?
Nullâ vos, nullâ cingent hæc prælia lauro,
Mæſta cupreſſus erit victo pro cive corona.
Diva nocens Lyſios ut vidit in arma ruentes,
Reginamque aulâ extorrem; lætata dolorum
Suceſſu, magnum ſolito jactantior antrum
Intrat, & inferno properat narrare Tyranno.
Ille malis gaudens, Furiæ gratatur ovanti,
Duraque per rigidum circumfert brachia collum.
Quid gaudes demens, vanoq; tumore ſuperbis

Tù toties victus poteris, poteriſne minantem
Contra ſtare polum! magnus ſic notus IESUS ?
Syderei notus ſic eſt moderator Olympi ?
Ahmiſer ! ah miſer ! expertus reminiſcere quãtus
Adtonet, & trifidum quo turbine torqueat ignem.
Non dabit ille tibi noſtro gaudere dolore,
Sed Lyſiis pacem, diademata reddet Elyſæ ;
Et fera converſis lugebunt Tartara fatis.

LIBER SECUNDUS.

AT Regina trucis jam dudum conſcia belli,
Quæ non perpetuis implorat numina votis?
Grata ſerenatæ depoſcens munera pacis!
Illam indulgentem precibus,lacrymiſq; vacantem,
Securamque ſui, genitoque, viroque timentem
Viderat alma parens , cultu cui divite clara
Luna pedem cingit, Sol corpus, ſydera crinem,
Aureolum crinem, corpuſque,pedemq; venuſtant
Sydera, Sol, & Luna;at Lunam, ſydera Solem,
Pes,crinis, corpus maiori lumine ditant.
Viderat, atque tenens durum ſub corde laborem:
Tunc miſerata ſuo genitoque, patrique profatur :
Nate ſator rerum, me me mihi charior ipſâ,
Quẽ mare,terra,polus,quẽ Tartara ſæva tremiſcũt,
Nonne vides quantos pia fert Regina dolores,
Proh Regina, tuis qua non addictior ulla
Legibus eſt,noſtrum vel quæ plus nomẽ honoret?
Exulat in proprijs, rapto diademate, regnis,
Et luit indignâ, quæ neſcit crimina, pænâ,
Inſuper, & bello. Orantem non pertulit ultra
Filius, & magno ſic interfatus amore eſt.
O cælo mihi,dum cælo ſine corpore vixi,
Gratior, alma parens,ob quam de vertice mundi
Stelliferi, magno devictus amore, gementis
Antra ſoli cupidus petij, cupiduſque reliqui
Aſtra poli, quo fata vocas, quo dia volentem

Me

Me trahis, atque tuæ miſerantem vulnus Elyſæ?
Parce metu, genitrix, equidem relevare querelas
Reginæ charæ, quanquam non ipſa rogares,
Mens erat;at quia non facilis conſcenſus Olympi
Eſt, niſi poſt duros clarâ virtute labores
Devictos, tantum ſum paſſus creſcere luctum,
Ut geminata ſuis de pœnis gloria creſcat;
Nunc vero tua cùm nobis ſit nota voluntas,
Jam propero gaudēs;quid enim tua vota retardē?
Hæc ubi;pennatum cæli ſtellantis alumnum,
Qui ſacra Reginæ referat mandata precanti,
Advocat, & placido ſic eſt ſermone loquutus.
Vade age, fide vigil, celeri zephyroſque volatū
Mirantes ſupera, Lyſijsque adlabere regnis,
Et fatis quam ſcis magnis ad magna vocari
Facta ducem Lyſiæ,quæ nunc, (proh cæca mariti
Ira!) gubernatis quondam nunc exulat oris;
Exulat, aſt animo ſuperi manet incola regni,
Quoq; nequit ferri modò corpore,mente vagatur;
Hanc inopem ſolare pius: diſcrimina belli,
Dic, adeat ſœvi, mediis & inermis in armis
Seſe projiciat clari ſecura triumphi,
Magnaque, quæ reddam cæleſtis præmia vitæ,
Dicito, noſcis enim, ut præſentem gaudia pœnam
Jam ventura levent, & penſent triſtia lætis.
Dixerat; ille ſacri referens mandata Tonantis,
Remigio alarum, lapſis non ſegnior aſtris,
Aſtra ſecat, ſulcat zephyros, & navigat auras.
Sic nitidus clarâ remeas cum ſolis ab urbe,
(Sol avium, vel ſolis avis,) pulcherrime Phœnix
Ante-

Antevolas rapidos pennis fulgentibus Euros?
Miratur volucrum decus ingens turba minorum,
Ut niteat ſtellatus apex, auroque comanti
Irradiet ſublime caput, multuſque ſerenis
Luminibus pater inſit, ut ora cruore rubeſcant
Muricis, & pictis vaga pennis floreat Iris.
Haud aliter volat alipotens; ſic aurea pulchrum
Sic roſa puniceis ridet diviſa labellis;
Et varias color haud unus ſic inficit alas.
Ut ſtetit inſonti qua felix exule terra
Montibus occurrit cælo; conſpexit Elyſam
Ardua divino laqueantem tecta Tonanti.
Arctius expenſis, ſed nunc ingentibus aurum
Deſtituebat opus, nec reddere ſancta petenti
Artifici Princeps jam munera pacta valebat.
Quid faciat? quo pauper opus nunc ære coronet?
(Mira fides!) roſeos decerpſit ſedula flores,
Datque viris: nitidum ſubito roſa verſa metallum
Induit, & geminâ dextras ſub imagine luſit.
Flos, cùm Diva daret; ſed cum plebs ſumeret, aurū.
Obſtupet, antiquumque ſub auro quærit odorem
Turba roſæ, gratus præcordia concutit horror,
Et ſua mirantem deterrent gaudia plebem.
O nimium dilecta Deo! cui fundit ab hortis
Divitias Zephyrus, theſauros Flora miniſtrat,
Atque ſacris parent properata roſaria juſſis!
Tù Dea, tù flores, cedat Venus aurea, cedat.
Pulchra ſui foliis ſervat roſa ſigna cruoris,
Vertice clara tui retinet monumenta metalli,
Ille decor florem veſtit, decor iſte coronat.

Elyſa-

Elyſabetha roſas poſtquam convertit in aurum,
Tecta petit, celſo grates ut reddat Olympo.
Vix bene mirificas, jam flexo poplite, palmas
Suſtulit in cælum, cum circumfuſa micantem
Lux ſolem exuperans totâ reſplenduit aulâ.
Aſtitit alipotens, claroque in lumine fulſit,
Ore Deum faſſus nitido, inceſſuque modeſto.
Tunc ſic alloquitur, curasque his amovet orſis.
O jubar Heſperiæ! ſummo ò dilecta Tonanti
Elyſabetha! polo quondam promiſſa nitenti
Gloria? pone metum lacrymasq;abſterge decoras
Me tibi ſydereus Rector, cui paret Olympus,
Miſit, ut inſanum poſſis componere bellum.
Hoc tua magna ſides, pietas hoc, criminis expers
Vita ita cæleſtis meruit: proh gaudia regnis
Quanta tuis tribues? quantos Regina labores
A' Lyſia avertes? Stupuit conterrita viſis
Mater, at ingentem pellunt audita timorem,
Lætitiamque ferunt; tandem ſic orſa viciſſim.
Vera ne tu loqueris! verus mihi nuntius adſtas,
Chare Deo ſuperis civis pulcherrime cæli?
O Pater, ò maris, ò terræ, cælique repertor
Miſiſti tandem noſtris ſolatia curis!
Tandem miſiſti, tuaque expectata roganti
Advenit pietas? nec eam mea crimina tardant?
An me lectus habet, falluntque inſomnia vana!
Hæc ait exultans: iterumque ſerenus olympi
Aliger ambroſio ſic eſt ſermone profatus:
Ne dubita, nam vera vides, & vera reporto
Nuntia, ſtelligeras non ſic dolus accolit oras:

Ibis, & inſanas, domito Mavorte, cohortes
Eripies letho, genitumque virumque minantes
Flectes, & ſubitâ miteſcere bella quiete
Aſpicies, celebrique redibis clara triumpho.
Magna quidẽ, magna hæc ſunt, ſed maiora reſervat
Dona polus, neque (plus animo jam cõcipe) ſolum
Arma premes gnati, vel flectes bella mariti,
Sed ſuper iſta tui placabis caſtra nepotis,
Emoriensque dabis pacem, velut orta dediſti,
Et Princeps pacis, (ſua dat tibi nomina numen
Proh decus eximium !) toto vocitabere mundo.
Hac tibi vita tenus : jamjam tè poſcit Olympus,
Et jam magna tui ſuper aſtra volabit imago.
O felix quantâ tunc vitam morte relinques !
Ipſa tibi, magnâ ſuperum comitante coronâ,
Virgo ſui Genitrix genitoris abire paranti
In cælos aderit, vultuque juvabit amico;
Me quoque principibus permixtum læta videbis
Æthereis, magnâ ſed tantum virgine fixa
Lumina tu Mariâ, contempto lumine ſolis,
Aſpicies, oculos mediàque in morte natantes
Hoc dulci obtutu (proh gaudia mira!) reſolvens.
Nobilitata tuo Stremotia funere tellus
Mater erit, celebrem ſed corpus in Herculis urbem
(Lecta tibi ſedes) Lyſiâ ſtipante feretur.
Uno tanta loco non poſſet gloria claudi.
Squallentes fervens tunc uret Syrius agros,
Corpus at illæſum nimios non ſentiet ignes,
Sed gratum membris polus omnibus addet odorẽ;
Nec ſervaſſe ſemel ſatis eſt, placet uſque ſacratum
Corpus

Corpus inextincto vernantis honore juventæ
Spargere, & æternos, ceu vivum, ferre per annos.
Hic te proh quanti (Deus immortalis) honores
Expectant ! quantis cæli ditabere donis !
Quot referes gratæ languentia membra ſaluti !
Quotque pedes claudis, os mutis, lumina cæcis !
Hic chorus Aonius,celebres hic carmine vates
Multiplici vates, quos Cynthius æquus amabit,
Te ſuper aſtra ferent,nunquam tua facta ſeneſcent.
Semper erunt, ſemper meminiſſe juvabit Elyſæ.
Annua ſolemni tibi pompâ feſta dicabunt
Herculei proceres, variis ſpectacula ludis
Ad tumulum ſtatuent, & præmia magna rependēt.
Jam te ſydereis properat deſcribere faſtis
Roma, caput mundi,jam te pater orbis,& urbis
Urbanus Sanctam vocat, & te deſtinat aræ ,
Sanctaque dicêris totum Regina per orbem.
Tempus & illud erit, quo te celeberrimus Heros
(Hunc anni properate diem) de ſanguine cretus
Ipſe tuo, patriæ qui mæſtæ vincula rumpet,
(Quid moror excelſi nomen proferre nepotis !)
Joannes Quartus, quo non illuſtrius ullum
Sæcula priſca jubar, neque ſæcula veſtra tulêre,
Nec ventura ferent : Joannes gloria Luſi,
Aurea ſub quibus auſpiciis renovabitur ætas,
Ornabit magnis , cultu non paupere, templis.
Naſcere magne Pater, Lyſiæ relevare labores
Cui dabitur miſeræ : trepido tû ſemper Ibero
Horror eris, Luſis amor, alto ſydus Olympo.
Magne Pater, ſupplex cui ſe ſe purpura quondam
 Offeret,

Offeret, & ſolum quem ſceptra ſuperba rogabunt,
Tanto quippe viro ſe ſors putat ipſa minorem.
Naſcere : ſe tibi jam totum concedit Olympus,
Jam Deus ipſe manu firmat tua regna potenti,
(O' manus ! ò magnum divini pignus amoris !)
Jamq; dolos aperit, quibus (omnibus impar in ar-
Clam ſuperare ſtudet,tantum nõ auſus Iberus (mis)
Contra ſtare ducem. Tù dextro ſydere magna
Natus ad acta venis , ſed tè magis omnibus unum
Fas eſt ampla tuæ Reginæ tecta dicare ,
Et conſanguineum templis extollere Numen.
Proh Regina tuos quantum hæc augebit honores
Progenies ! cinget quantis altaria donis !
Qualis, & ille dies, quo te Rex ipſe vetuſto
Transferat à templo, celſique in vertice montis
Sublimem ſtatuet, meliorique æde locabit !
Hancque videns ſperat jamjam Conimbrica lucem,
Sperat & ipſe ſacro mons deſignatus honori,
Jamque ſuæ exultãs præfert ſpei nomen,& omen.
Conjugis, & nati nunc me ventura vocabat
Fama tui; ſed ego tanti poſt acta nepotis
Quid referam,magnũ licet illud adæquet Achillẽ,
Parvula quod tanti non fiat luminis umbra ?
Et tibi dicendo lætum jam tardo triumphum.
Vade,vide,& vince.Hæc ubi dicta profatus,in altũ
Se tollit cælum, cælumque fragore ſereno,
Et tonitru fauſto lævâ de parte tonavit ,
Dicta Dei firmans. Stetit imperterrita mater,
Et volucrem tali fugientem eſt voce ſequuta.
Maxime præcelſum puri decus ætheris ales,
Ales

Ales prima chori volitantis gloria, veri
Mercurius Jovis, alis ſol, oculisque cupido!
Sic quum ſtellifero lætus ſpatiabere campo
Aurea dulciſono tibi plaudant ſydera motu,
O faveas! dexterque meos nunc dirige greſſus.
Hæc ait; atque viam charos molitur in hoſtes.
Hactenus infernæ fraudes, miracula, cælum,
Nunc me bella vocant; jam Mavors intonat armis,
Horrida terribili reboat jam buccina cantu,
Pulvere jam cælum, terram pede, & aëra telis
Condit uterq; globus: nunc belli æquare furorem
Pinde, furore tuo; doctâ nunc Pallade, ſævam
Pallada; Bellonam nunc nunc ſuperare Minervâ,
Atque ſonare tuba, dum Mavors fulminat enſe,
Mens agitat; maior mihi nervos tendat Apollo.
Vix in conſpectu, modicâ tellure, diremptæ
Effulſere truces gnatique patrisque cohortes;
Quum rigidam præceps (ſcelus!) ira laceſſere pugnã
Compulit alternis: tuba Principis horrida magno
Arma fragore prius ſonuit; reſponſa tremendum
Reddidit æs Regis: tanto perculſa boatu
Terra tremit, dubiuſque polus minitare ruinam
Viſus, & inſontes pavefacta redire fluenta.
Agminis in medio Rex corpore, cordis ad inſtar,
Prælia diſponit, curruque videtur in alto
Ante feram pugnam lætum jam ferre triumphum.
Aurea ſed Lyſio caſſis ſerpente tremenda
Tempus utrumque tegit, magno minitatur hiatu
Os, & more ſpecus, terno dens agmine, terno
Lingua furit motu: crebris ventosque ſagittat
 Ictibus;

Ictibus; horrendâ trepidant in fronte jubarum
Sanguinei radii, & criſtas ſimulare videntur
Caſſidis; arrectæ pennis ingentibus alæ
Congeminantq;jubas,& honorem frontis adaugēt
Terrificum torvæ ; prælatum pectus obarmat
Ære ingens thorax, & ſplendens; haſta volanti
Magna manu tremit ; haſta leves ſuperare ſagittas
Cui ſolitum; fortis cum tranſvolat acta lacerti
Amento rapido ; clypeum manus altera portat,
Non ad munimen (nam corpus dextera ſervat)
Ad pompam tantum. Si c arma ferebat Achilles
Mulciberis fabrefacta manu, licet ulla notare
Tela reluctantem non poſſent vulnere pectus.
Parte ex adverſa rapidum furibundus agebat
Natus equum, hinnitu tonitrus, & flumina curſu
Æquantem, candore nives; ſub pondere geſtit,
Atque,gemit ſonipes, humiliſq,feroxque viciſſim,
Nunc onere igenti premitur,nunc ſe inflat honore.
Haud utero tantum, quantum tergo iſte ruinam
Dardanius portavit equus, cum fortia multo
Milite ſopitæ ſuccendit pergama Troiæ.
Milſe viros licet ille ferat, licet iſte ſit uno
Armatus ſolum, numerum vis inclyta vincit.
Aureus in dextrâ micat enſis, fervidus, ingens,
Terribilis, rapidus, quem triſtis mallet Orion,
Lucida crudeli cum terret ſydera ferro.
Sic ferus; immanis, ſic Mars horrore tremendus,
Cùm Bellona rapit fortes in prælia Thracas,
Ingreditur cuneos, & campos vertit in amnes
Sanguine, & in montes, cumulato funere, valles.

In-

Ingentem ſylvam denſatis undique plantis
Ille, vel hic jaculis ſimulat globus; aurea pictis
Caſſis onuſta jubis volucres per denſa vagantes
Robora mentitur : pulcherrima Martis imago,
Aſt horrenda tamen; ludunt vexilla per auras
Verſicolora, nitent clypei, lituique reſultant,
Stat ſonipes, & ſtare nequit, ferit ungula campum,
Hinnitus ventos, indignaturque teneri.
Cingula, frena, jubæ, facies, color, arma, pharetræ.
Delectant, terrentque ſimul; decor inde ferocit,
Allicit hinc horror; pulchris ita floribus Ætna,
Terrificisque rogis hinc ridet, & inde minatur.
Sed jam diſceſſit decor horror manſit utrumque;
Jam furit enſis atrox, jam tela coruſca rubeſcunt,
Jam clypeus clypeo, pede pes, & caſſide caſſis,
Virque viro premitur, pugnat mucroneque mucro
Nunc age, quis primus civili ſanguine campum
Armaque conſperſit ? Tu ſæve Alfonſe fuiſti,
Qui magnum Coſmam lethali vulnere victum,
Coſmam ſigna patris, melioraque caſtra ſequutum
(O' furor! ò præceps rabies! manus effera! vulnus
Infandum !) miſſo per fortia pectora ferro
Straviſti ! ruit ille manu labente remittens
Imbelle, & proprio madefactum ſanguine telum.
Ut rapidam primo rubefecit vulnere dextram,
Sanguinis utque ſitis conſpecto ſanguine crevit ;
Non Elephas viſo ſtimulatur in arma cruore
Amplius, aut denſos interfurit acrius hoſtes.
Hos clypeo reſupinat, equo premit horridus illos,
Hos jaculo forat, hos fatali diſſecat enſe.

Enſe Thomæ ferit ora, Sebaſti pectora, Pauli
Tempora; Paulus eques, pedes ille, auriga Sebaſtus;
Brachara te dives, te magna creavit Olixbo,
Hunc celebres Lyſiæ non accipietis Athenæ.
Nō cadit enſis atrox, quin perforet arma, nec arma
Perforat; ingenti quin corpus vulnere rumpat,
Vulnere nec rumpit, quin vitam funere mutet.
Flumina jam ſanguis, jam cæſa cadavera montes
Efficiunt: omnes unus ſternitque, fugatque,
Nec modus, aut requies: uno quis crederet enſe
Funera tanta dari? non funera tanta dediſſet,
Quamvis centenos clypeos, centenaque tela
Bis cētum gereret manibus Jovis ampla Typhæus,
Gloria victoris: nec ſi ſuperaſſet Olympum
Ille foret tanti ſpecies ſatis æqua furoris.

Nec minus interea patris ira ruebat; ovantes
Quocumque impellebat equos, ibi cædis imago
Multa feræ: cuneos mors cunctos una trucidat,
Pugnaque crudelis ſtrages, non pugna, videtur.
Per laceros artus, rapidum rota fervida currum
Ducit, iterque altâ gaudet rupiſſe ruinâ.
Fit ſonus, inmanem dantquē oſſa refracta fragorem
Arma cruore, cruor maculatur pulvere, pulvis
Denſatur ſudore; replet jam magna cadentum
Copia fumantem exundanti ſanguine campum
Qualiter obliquo magnum duo fulmina montem
Igne petunt geminâque ruunt incenſa ruinâ
Robora, & horrendâ flammâ nemora alta per-urūt,
Decertare putes, quodnam perrumpere ſaxa
Fortius, aut veteres valeat proſternere plantas.

Haud

Haud alia eſt genitique, patriſque furentis imago.
Jamque propinquabat ſtimulis agitatus Averni
Alter in alterutrum; medio cum fulſit Elyſa
Æquore, & indēſum (ò memorāda audacia!) ferrum
Se ſe projecit, clari haud ignara triumphi.
Extemplo maior, ſolitoque auguſtior, ipſisque
Haud impar ſuperis viſa eſt: diſceſſit utrinque
Miles, & armatus Divam trepidavit inermem.
Nec mora, jam placidâ miteſcere prælia pace
Incipiunt, aciesque ſtupent, compreſſus, & omnis
Impetus armorum. Sic quando prælia fratrum
Aonidum, cælo pietas delapſa petivit,
Tela cadunt, frigent cunei, lituique ſileſcunt.
At mater poſtquam cataphracta per agmina charū
Invenit genitum; lacrymis ita fatur obortis,
Tanta ne te tenuit regnandi, Nate, cupido,
Ut patriamque, patremq; uno tumulare ſepulchro
(Heu ſcelus, heu!) ſtudeas? nec te data dextera Patri,
Matre jubente, movet? nec te divina ruentem
Jura tenent, retinet ve parentis amabile nomen?
Nec pietas, nec lex, nec te hæ, furibunde, minātur
Hæ lacrymæ! has ego per lacrymas te deprecor ar-
Projice dura manu, ſanguis meus; impia tela (ma?
Projice, nec mea nunc morti dare viſcera perge.
Ibat adhuc lacrymis exornans verba profuſis,
Sed natus, mediis viciſti, clamat, in orſis,
Viciſti Genitrix; nubem diſcuſſit Averni
Lux cæli; video jam jam mea crimina nullis
Crimina ſupliciis ſatis, heu! plectenda: quis ardor
Quæ me præcipitem rapuit vis! ah mea quiſnam,
Corda

Corda furor tantũ ad ſcelus impulit? effera demẽs
Arma patrẽ contra (quâ nam hãc ego morte piabo
Impietatem animi!) ſumpſi, patriamque coëgi
In propriam(miſerũ me! me miſerum!) ire ruinam.
Ipſe tuum noſtro maculavi crimine nomen
Chara parens; tu pulſa thoro, ſceptriſque fuiſti,
Et vivo, nec adhuc vitam finire dolore
Evaleo! Cives nunc, ò nunc vertite ferrum
Meme(adſum qui feci) in me, pater optime pœnas
Nũc meritas ſume: hæc loquitur, patremq; requirit:
It ſimul, & genitrix nati gaviſa dolore.
Ut ſtetit ante virum blando ſic incipit ore.
Parce pias ſcelerare manus (Rex maxime) gnato
Parce tuo; en veniã lacrymanſq; gemẽſq; precatur,
Parce mihi, læſi tua ſi nunc juſſa. Negarunt
Dicere plura oculi. Tunc Rex lacrymatus, & ipſe;
Immo ait, ò conjux dulciſſima, parce marito,
Exiliumque tuum releva, noſtrumque furorem.
Dixerat, inque almæ cervice recumbit Elyſæ,
Grataque terrificas deflectit ad oſcula palmas
Et pronum ante pedes levat ad pia brachia natum.
Undique ſpectandi ſtudio Luſitana juventus
Cirumfuſa coit, certantque attolere palmis
Victricem Heroinam, nec mora Regis in alto
Conſtituunt curru, & magni monumenta triumphi.
Tela refracta virùm, clypeos, galeasque jubaſque
Sanguine rorantes, quoſque ipſa repreſſerat enſes
Suſpendunt: bijugi tanto ſub pondere læti
Signa pedum nequeunt indigna figere terra.
Subſequitur celſam pedes ampla per æquora Divã
Hinc

Hinc pater, hinc genitus poſitis jam blandior armis,
Circumdant Lyſii, & currum comitantur ovantem;
Victoremque vocant, Tutelaremque benignam.
Pars choreas agitant, pars dulci carmina voce,
Argumenta tuæ virtutis carmina, fundunt.
Ut premis horrendum in lucem vix edita Martem;
Martem per patrios ſpargentem incendia campos;
Utque ſalutiferâ languentia corpora dextrâ.
Vivificas iterum. Fulvum, tú Diva metallum
In roſeos miro tranſmutas ordine flores,
Maxima tú ſiccâ tendis per flumina plantâ.
Te rapidi tremuere rogi, fidumque miniſtrum
Triſtibus à flammis ſervarunt, ſonte per-uſto,
Te maiora pio ſuperata incendia fletu
Condecorant; natam per te ſublatus ab igne
Purganti genius, ſupero jam regnat Olympo.
Tu requies miſeris; nunquam te pauper adivit,
Quin dives multis donis cumulatus abiret.
Salve, chara parens, Lyſiis decus addita regnis,
Atq; tuum placidâ, Dea, ſuſcipe fronte triumphum.
Hæc feſtis celebrāt numeris: ſuper omnia Martem
Adjiciunt patrium, devictaque bella renarrant.
Omnia reſponſant, lætoque fragore reſultant
Montes, prata, nemus, geminataque vocis imago
Non ſolito voces, ſed jam pleno ore recantat.
Non ego, ſi cunctæ poliant mea carmina Divæ
Gaudia tot, celebris præconia tanta triumphi,
Feſtaque tot longo poſſem percurrere plectro,
Et me jam patrio ſperant in carmine Muſæ.
Preſtabis ne diu, ſicutque poëmata vives,

Aſpera

Aſpera quæ multos deterſit lima per annos;
O mihi nunc menſem temere evigilata per unum,
Ardua dum celebris ſubeo certamina ludi
Elyſabetha! tibi jam certè riſit amico
Sors vultu; clari dio jam pectine vates
Te ſuper aſtra levant; jam clari nomina Regis,
Nomina præcelſi magnum mihi numinis inſtar
Fronte geris, tantoque polum ſub præſide tangis.
Vive ergo, felixque pedes ad regia magni
Tecta fer Heröis, quo non illuſtrius ullum
Sæcula priſca jubar, nec ſæcula noſtra tulêre,
Nec ventura ferent; cujus ſub nomine nomen
Tempus in omne tuum latum ſublime per orbem
Vivet, & ut Martem, ſic mortem vincet Elyſa.

FINIS.

ULYSSIPONE OCCIDENTALI,
Excudit PETRUM FERREIRA, Sereniſſimæ
Reginæ Typographus. Anno M.DCCXXXII.
Cum facultate Superiorum.